



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Rvperti Ab||batis Monasterii || Tvitiensis Ordinis S.  
Benedicti The||ologi antiqui, Opera duo, ut egregia sanè,  
ita diu desiderata, multoq[ue] || labore perquisita, ac  
sumptu haud ita modico ...**

**Rupert <von Deutz>**

**Colonia, M. D. XXVI.**

**VD16 R 3796**

De Gloria Et Honore Filii Hominis Liber .VIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71860](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71860)



# DE GLORIA ET HO

NORE FILII HOMINIS LIBER .VIII.



## SAPIENTIA DEI, QUAE APERV

isti os muti, & linguas infantium fecisti disertas: ego quondam mutus & infans, nunc autem ore aperto & lingua pene diserta te magnificans, tibiq; de auro tuo ac de gemmis tuis quandam quasi regiam gloriae & honoris facere adorsus coronam, semper quidem multum, nunc autem maxime tua iuuari cupio dispositione, atque opitulatione.

¶ Non enim nunc ita, ut hactenus, uni tantum intentus sum operi, neq; debitor unius tantum debiti, sed circumuentus, quasi à duobus foeneratoribus magnis & auarissimis omittere non valeo quin ambobus satisfaciam, cupiens esse fidelis. Alter eorum est angelus, id est, praesul Agrip

mensis ecclesiae, cui me (ut credo) tu per misericordissimam providentiam, in tempore persecutionis, tanq; patri filium adoptivum commisit: alter vero, paterfamilias domus tuae, scilicet coenobii Sigeburgensis, cui nequeo dicere quantum debitor sum. Hic mihi primus suaderat hoc opus ingredi, titulum de gloria & honore filii hominis: cum ille alter, & maior amicus, vehementer studij nostri bona opinione siue experimento delectatus, iussit atq; rogavit, et utroq; modo, scilicet iubendo atq; rogando compulit, quatinus in libros regum totum cor meum cum tua, domine, gratia converterem, & quantumcumq; possem, te adiuvante, magnum & (ut sibi videbatur) utile opus inciperem, & de tuo adiutorio ad perficiendum nunquam desperarem. Quid ego inter istos animo pene diuiso facerem? Resultarem pertinaciter patri & pontifici: At ille non solum sic iubebat, verum etiam supplicabat aliquamdiu recusanti, ut si non paruissem, mihi ipsi viderer pietati rebellis. Relinquerem hoc opus, quod iam inceperam, rogatu (ut iam dictum est) inferioris amici: At ille tanto circa istud angebatur sancti desiderij ardore, ut videns necessitatem meam, quod non possem maiori & digniori denegare, aspiciensq; hoc opus, quantum hactenus scriptum fuerat, diceret hoc solum, doleo super te, doleo super te, codicem aspiciens, quem exspectabat imperfectum remanere. Igitur necessitate compulsus, dimidium cordis mei uni, & dimidium cordis mei praebui alteri, totum autem, & sapientia, tibi praebere optavi, dimidium charitati impendi, ut uno eodemq; tempore circumfidentes duo calamum in mentem meam tinguant notarij. Unde sit, ut si quid bene dictum fuerit, tibi totum imputetur: si quid autem minus bene sonuerit, necessitati digne condonetur. **¶ Et cum transiret inde Iesus, vidit hominem sedentem in theloneo, Matthaeum nomine, & ait illi. Sequere me, Et surgens, secutus est eum.** Hoc ad gloriam & honorem filii hominis praedicandum atq; audiendum est, quia hunc hominem vidit, & tam efficaciter vidit, ut veraciter conveniat huic dicere, tu deus qui vidisti me. Quomodo enim vel quibus oculis vidit? Deniq; si de oculis humani capitis agitur, quibus ut homo erat oculatus, nunquid solus hunc hominem vidit? Imò & illos qui crucifixerunt eum. Alij sunt oculi quibus istum transiret à sinibus eorum, sed & illos qui crucifixerunt eum. Alij sunt oculi quibus istum vidit, oculi gratiarum: qui iuxta Zachariam in uno lapide, & iuxta Apocalypsim Iohannis in capite unius agni septem sunt. Oculi isti nominibus suis nulli sunt aut esse debent incogniti, quae videlicet nomina sunt spiritus sapientiae & intellectus, consilij & fortitudinis, scientiae & pietatis, & timoris domini. Istis oculis hunc hominem vidit, & cum videret eum exterioribus oculis per istos interiores oculos recognovit, quod esset unus illorum, quos ante seculum praesciuit, & praedestinavit. ¶ Itaq; videns eum, ait illi. Sequere me. Et surgens, secutus est eum. Erat enim ipse Matthaeus, tanquam specular praelucidum, eatenus conspectui solis

Sapientia, Jo

Duo opa auctoris eodem tempore absolue da.

Prover. 23

Quibus oculis vidit Iesus Matthaeum.

Matth. 8.

Zach. 3.  
Apoca. 1.  
Esaia. 11.

Qualis Mattheus ante fuit,



nequaquam appositum, sed in tenebris reconditum, & sub tecto latens curarum nimis secularium, utpote telonearius, de nauibus negociatorij cum clamore uel strepitu forensi, publicum exigens uectigal siue tributum. Vbi ergo uidit eum IHESVS: ubi uidit eum salus & soluerus? resplenduit ex aspectu eius, & quia uidit eum talis filius hominis, reddidit imaginem eius, & formata est in ipso facies hominis. Alium quoque uidit, & ex uisu eius formata est in eo facies uituli. Vidit & aliam, & eo uidente formata est in illo facies leonis. Vidit & alium, & uidente formauit in eo faciem aquilæ uolantis. ¶ Iste uisus admirabilis, illa est gratia, quam admirans uas electionis Paulus dicit, Nam quos præciuit & prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui, Quos autem prædestinavit, hos & uocauit. Et quos uocauit, hos & iustificauit. Quos autem iustificauit, hos & magnificauit, Et ante tempora quidem secularia præciuit & prædestinavit, in tempore autem uocauit unumquemque in tempore suo, ut nunc istum uocauit, & sequere me ait. Qui quam hilariter uocanti sese præsentauerit, quam alacriter siue amabiliter pulsanti ianuam cordis sui aperuit, illa res de foris satis indicat, quod fecit ei conuiuium magnum in domo sua. Ergo præcipue in isto clarissimum est illius dicti dominici experimentum, si quis audierit uocem meam & aperuerit mihi mannam, introibo ad illum & cenabo cum illo & ipse mecum. Introiuit enim in domum eius, & cenauit ipse primus cum illo corporale conuiuium, & deinde Matthæus cum eo cenauit cenam spiritualem. Hoc denique præsens scriptura probat, scriptura euangelica, quia reuera cum domino cenauit, qui hanc primam noui testamenti scripturam tanquam uere saturatus nobis ructuauit. ¶ Hoc sacramentum pharisæi, neque scientes, neque scire uolentes, discumbente domino cum eo in domo, cum multi quoque publicani & peccatores discumberent cum domino Iesu & discipulis eius, dicebant. **Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister uester?** At ille sapienter ac nimis terribiliter ora illorum obstruxit, sapienter quidem dicendo, **Non est opus ualentibus medico, sed male habentibus, euntes autem discite quid sit, quia misericordiam uolo & non sacrificium.** Terribiliter autem subiungendo, **Non enim ueni uocare iustos, sed peccatores.** Hoc denique dicto seu uerbo terribiliter eos percussit, qui in se confidebant tanquam iusti. Quos enim hic dicit iustos, nisi superbos? Et quos dicit peccatores, nisi humiles? Væ talibus iustis, qui suo iudicio iusti sunt, at non deus qui iusti uolunt uideri, cum non sint. Econtra foelices peccatores, qui suam iniustitiam recognoscunt, dei iustitiam esuriunt & sitiunt. Nam illos salus uocare non uenit, propter istos de caelis descendit, & humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis. **Tunc accesserunt ad eum discipuli Iohannis dicentes, Quare nos & pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant?** Et ait illis Iesus, **Nunquid possunt filij sponsi ieiunare, quam diu cum illis est sponsus? Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt.** ¶ Grauiissima hæc atque sapientissima responsio, quanti sit ponderis, melius ex prophetica scriptura collatione ualet agnosci, cum apud Zachariam dominus dicit, **Cum ieiunaretis & plangeretis, in quinto & septimo per hos septuaginta annos, subauditur propter illud quod Nabuchodonosor ciuitate & templo succenso igni, populum in captiuitatem duxit, & propter illud quod Ismahel filius Nathaniae Godoliam & cum eo reliquias populi interfecit, nunquid ieiunium ieiunastis mihi? Et cætera usque, ieiunium quarti & ieiunium quinti, & ieiunium septimi, & ieiunium decimi erit domui Iuda in gaudium & lætitiam & solennitates præclaras, usque quo uenient populi, & habitabunt in ciuitatibus multis: quod uidelicet futurum erat per aduentum huius sponsi, de quo & subinde dictum est illic. In diebus illis, in quibus apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium simbriam uiri Iudæi dicentes, **ibimus uobiscum, audiuit enim quod deus uobiscum est.** Nam de simbria uiri Iudæi protinus hic in euangelio habes, quia mulier quæ fluxum sanguinis patiebatur duodecim annis, accessit retro, & tetigit simbriam uestimenti eius. ¶ Summa sermonis illius prophetici hæc est, debuisse ieiunare illos, apud quos reposita erat uel esse debeat spes & expectatio reuersionis, non tam propter temporalium (quæ acciderant) incommoda rerum, & propter captiuitatem Babylonicam, quæ facta fuerat illis septuaginta annis; quam propter peccata sua, & propter illa**

Ezech. 1. 10

Apoca. 4

Prædestinas  
uo diuina.

Roma. 8

Apoca. 3

Iusti hic dicuntur  
supbi. peccatores, q sunt  
humiles.

Philip. 2.

Zacha. 7

4. Reg. ult.

Hier. 41.

Zacha. 8

Ibidem.

Matth. 9

Cur ieiunare  
debuerunt Iu  
dæi.



per illam quæ contigit in Adam uniuersalem captiuitatem generis humani. At illi quos  
 nam soluta erat captiuitas Babylonica, & templum reedificabatur, dicebant singuli.  
 Nunquid mihi flendum est in mense quinto, uel sanctificare me debeo sicut feci iam mul-  
 tis annis? Videlicet quia templum reedificabatur, iam nullam superesse causamputabant,  
 cur ieiunarent. Merito ergo redarguebantur à dicente, nunquid ieiunium ieiunastis mis-  
 hic quia uidelicet propter temporalia bona flent & ieiunant, quia desunt, non domino ies-  
 iunant. ¶ Sed qui propterea ieiunant, quia præsentem non habent sponsum, sicut illi non  
 dum habebant, nos autem habuimus quidem, sed iam non habemus, ipsi ieiunium domi-  
 no ieiunant. ¶ Igitur quoniam causa ieiunij debuerat omnibus esse, desiderij & expecta-  
 tio saluatoris, ut fuit Moyfi et Helix et Danieli: ipse autem nunc præsens aderat, postmo-  
 dum recessurus, dulce fuit & iocundum sanctæ charitatis officium, saltem ad breue tēpus,  
 propter præsentiam eius intermittere ieiunium, quia tempus illud, tempus præsentia eius,  
 quali tempus erat nuptiarum. Ait ergo. Nunquid possunt filij sponsi lugere quàm diu cū  
 illo est sponsus? Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus, & tūc ieiunabunt. Ac  
 sūdicat. Vos qui filij sponsi non estis nec esse uultis, sed nec filij illorum dici meremini, qui  
 ieiunauerunt præ desiderio aduentus sponsi: imò illorum, quibus deus ueraciter dicit, nun-  
 quid ieiunium ieiunastis mihi? ieiunatis estis & uos sicut illi, pro eo quod aliquādo de rebus  
 transitorijs aliquid aduersi contigit: uos (inquam) ieiunate quantum uultis, nam isti ieiuna-  
 re non possunt præ gaudio sponsi præsentis. Venient autē dies cum auferetur ab eis spon-  
 sus, & tūc ieiunabunt. ¶ Nemo autem immittit commissuram panni rudis in uesti-  
 mentū uetus. Tollit enim plenitudinē eius a uestimento eius, & peior scissura fit. ¶  
 Plane ieiunabunt in illis proxime uenturis diebus, cum ablatus fuerit ab eis sponsus, cum  
 passus, mortuus & sepultus surrexerit & in cœlum ascenderit, iam non ultra cum eis in  
 mundo hoc corporaliter conuersatus. Nunquid uero, ut uos ieiunatis, ita ieiunabunt & isti?  
 Non utiq; nam hoc tale esset, ac si quis immittat commissuram panni rudis in uestimen-  
 tum uetus. Deniq; ieiunia uestra, ieiunia sunt ueteris hominis: homines autē isti, cum  
 sint filij nuptiarum cœlestium, sunt homines noui. ¶ Si ergo ieiunarent propter causas es-  
 iusmodi, propter quas & uos ieiunatis, scilicet quia Moyses tabulas priores scriptas digito  
 dei protulit de manu, & confregit eas ad radices montis, uel quia reuerfis exploratoribus,  
 quos miserat Moyses explorare terram, & detrahentibus terræ, cum omnis multitudo uer-  
 saretur in seditionem, iratus deus iurauit quod non intrarent terram illam, donec consume-  
 retur generatio illa quadraginta annis, iuxta numerum dierum quadraginta, quibus con-  
 siderauerant terram: uel quia Nabuchodonosor rex Babylonis, siue Nabuzardan prin-  
 ceps exercitus eius, capta ciuitate, succendit domum domini, & transtulit populum in Ba-  
 bylonem: uel quia deinde uenit Ismael filius Nathanix & percussit Godoliam, quem  
 præfecerat rex Babylonis terræ, & Iudæos qui erant cum eo: consurgens autem omnis  
 populus reliquiarum, timens Chaldæos, fugit in Aegyptum. Si (inquam) ieiunarent pro-  
 pter causas eiusmodi, hoc esset nouos homines flere nenias ueteris hominis: quod omnis  
 no non congruit his, quibus datum est nosse mysterium regni dei. Nam sicut commissura  
 panni rudis, ubi immissa fuerit in uestimentum uetus, tollit plenitudinem eius, & peior scif-  
 sura fit: ita quilibet homo particeps factus sanctæ huius nouitatis, si eiusmodi pharisaicis  
 traditionibus sese inseruerit, deterior quouis uetere homine fit, ita ut, neque uetus, neque  
 nouus sit, & neutrum habeat, cum utrunque in se uno permiscere uoluerit. ¶ Quare au-  
 tem hoc ipsum quod intēdit, quod intelligi uult in uerbis istis, nemo autem immittit com-  
 missuram panni rudis in uestimentum uetus, tollit enim plenitudinem eius à uestimen-  
 to & peior scissura fit, non manifeste dixit? Quare illis sensum tam bonum, tam ue-  
 ram abscondit, clausit et signauit? Nimirum quia expediebat illis, non expediebat ipsis  
 mysterijs regni dei, ut diuulgarentur uel committerentur eis. ¶ Neque enim (ait)  
 mittunt uinum nouum in utres ueteres. Alioquin rumpuntur utres, & uinum  
 effunditur, & utres pereunt. Sed uinum nouum in utres nouos mittunt, &  
 ambo conseruantur. ¶ Secundum istam similitudinem damnosum fuisset, docere  
 illos uerbis manifestis, quam ob rem tūc non ieiunarent discipuli eius, essent autem  
 postea

Zacha. 7

Qui ieiunare  
 dicitur dño,  
 Præsen- spō  
 so ieiunādum  
 non erat.

Varie cause  
 ieiunādi apud  
 Iudæos.  
 Exodi. 32.

Nume. 74.

4. Reg. ult.  
 2. Para. ul.

Hiere. 47.

Expediebat  
 Iudæis loqui  
 in parabolis  
 obscure.



postea ieiunaturi. Pharisæi enim cum his erant qui interrogauerant. Et sicut utres veteres misso intus uino nouo rūpuntur, & uinū cū utribus perit: ita illi, si manifeste diceret ipse, audientibus eis, quippiam eiusmodi, amplius præ inuidia rumpentur, & sermo inutilis esset taliter effusus: præsertim cum sapientia dicat, ne effundas sermonem, ubi non est auditus. Propterea & alius Euangelista dicit. Ipse autem Iesus non credebatur semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes, & quia opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine. Ipse enim sciebat quid esset in homine. ¶ Bene igitur cum dicere posset, ieiunandum erat usque ad me, & cum recessero, ieiunandum erit post me, secundum ueritatem scripturæ prophetiæ, cuius iam supra mentio facta est, maluit sermonem suum sic temperare, ut & futuris innotescens res, eos secum seruaret, & presentes, qui tunc erant, per inuidiam non rumpere. Quid de eo, quod subiunxit protinus, sed uinum nouum in utres nouos mittunt & ambo conseruantur: Nunquid non uel ipsi filij sponsi, super quibus non ieiunantibus quæstio hæc mota erat, iam ueres noui erant? Non iam omnino noui, sed caritates erant sanctæ nouitatis. Propterea quodam loco dicebat & ipsis. Adhuc multa habeo uobis dicere, sed non potestis portare modo. Quando sunt omnino inuoluti: quando acceperunt spiritum sanctum post resurrectionem eius, cuius gratia nouos homines efficit, tunc uinum nouum missum est in utres nouos, et ambo conseruata sunt, id est, reuelata sunt illis omnia mysteria scripturarum, et gustauerunt amorem sponsi dulcedinemque celestium nuptiarum, et hoc uino inebriati salui facti sunt, et uinum bene conseruatum fideliter quibus iussum est refuderunt. ¶ Hec illo loquente, ecce princeps unus accessit, & adorauit eum dicens. Filia mea modo defuncta est, sed ueni, impone manum tuam super eam, & uiuet. Et surgens Iesus, sequebatur eum & discipuli eius. Et ecce mulier, que sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, & tetigit fimbriam uestimenti eius. Dicebat enim intra se. Si tetigero tantum uestimentum eius, salua ero. ¶ Nequeo satis admirari pulchritudinem gloriæ et honoris in facie filij huius hominis, in mirabilibus eius gestis, secundum dispositionem quam hic discipulus Euangelista disposuit. ¶ Quid enim sibi uult, quod dum interrogatus de ieiunio respondit, & non ieiunantes excusat filios sponsi, res gesta protinus subsequitur, huiusmodi de muliere, quæ talem ob causam tanta cum fide fimbriam uestimenti eius tetigit? Quid (inquam) sibi hoc uult, nisi ut insinuet factis, quod (sicut iam dictum est) nondum expediebat palam ostendere uerbis, se illum esse uirum, de quo in Zacharia loco supra memorato, cum item de ieiunio fuisset interrogatus idem à dicentibus, nunquid mihi stendum est in mense quinto uel sanctificare me de beo sicut iam feci multis annis, ita resolutionem suam terminauit ut diceret, usquequo uenient populi, & apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium fimbriam uiri Iudæi, dicentes, ibimus uobiscum. Hæc ergo dispositio ualde uenerabilis, & pia consideratione honoranda est. Quid enim aliud est, quod in propheta prædixit post responsum de ieiunio, in diebus illis apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium fimbriam uiri Iudæi: quam quod hic significari uoluit per mulierem, quæ fimbriam uestimenti eius tetigit, & sanata est à fluxu sanguinis? ¶ Hæc nanque mulier forma fuit omnium gentium, quæ profecto in eum credendo, cuius faciem ante non uiderunt, quodammodo retro accedunt, & sequendo uestigia eius, id est, custodiendo præcepta eius, reuera fimbriam uestimenti eius tangunt. Et quid erat iuxta hunc sensum sanguinis fluxus, nisi peccatorum illuies, maximeque sordibus idolatriæ cultus? Porro filia archisynagogi, pro qua rogatus erat & ibat, synagogam designabat. Unde ualde notandum, quia sicut Marcus manifestius scribit, notandum archisynagogi filia fuerat mortua, sed iam in extremis erat: ubi autem mulier fimbriam tangendo sanata est, tunc ad archisynagogum nunciij uenerunt dicentes, quia filia tua mortua est. Quid ultra uexas magistrum? Item & hoc uigilanter animaduertendum, quia & puella, quæ mortua est, erat annorum duodecim, & mulier, quæ sanata est, fuerat in profluvio sanguinis annis duodecim. Itaque & quando puella nata est, tunc illa mulier sanæ sanguine fluere cepit: & quando sanata est mulier, tunc puella mortua est. Quid hoc sacramento pulchrius, uerius, ac præclarius? Quando enim synagoga in patribus Abraham, Isaac,

Ecci. 32.  
Iohan. 2

Zacha. 7

Vtes noui,  
apostoli.

Iohan. 10

Iohan. 20.  
Actu. 2.

Mysteriū in  
mul. ere fimbriam  
Christi tangente

Zacha. 7

Zacha. 8

Mulier illa, ty-  
pus gentiū. fi-  
lia archisynago-  
gogi, typus  
Iudæorum.

Marci. 5.



Iam, Isaac, & Jacob nata est, tunc idolatriæ fluxus in gentibus fluere exorsus est. Quando autem multitudo gentium, credendo in Christum, ab eiusmodi fluxu per fidem suam saluata & salua facta est, tunc synagoga, quæ eatenus nimis ægra per multas tribulationes fuerat, omnino per inuidiam mortua & sine deo facta est. Rursus, cum multitudo gentium intraverit, tunc omnis Israel saluus fiet, atque iccirco congrua pulchritudinis in mysterio confirmationis hæc est, quod postquam mulier à fluxu sanguinis sanata est, tunc demum intrauit, & tenuit manum puellæ, quæ erat mortua & surrexit puella. **L. Et transiente Jesu inde, secuti sunt eum duo cæci, clamantes. Misere nostri filii David. Cum autem venisset domum, accesserunt ad eum cæci, & dicit eis Jesus. Creditis quia possum hoc facere vobis? Dicunt ei. Utique domine. Tunc tetigit oculos eorum, dicens. Secundum fidem vestram fiat vobis, & aperti sunt oculi eorum.** Memores propositi sui, memores ut esse debemus, quod videlicet propositum in hoc opere est, cõsiderare quatuor facies unius animalis, scilicet faciẽ hominis, faciẽ vituli, faciẽ leonis, & faciẽ aquilæ volantis, quæ sunt quatuor sacramenta unius Christi filij dei & filij hominis, quæ ignota esse non licet christianis adhuc intendimus, & in hoc faciẽ hanc ex parte nos videre, & per speculũ contemplari abstrahimur, si in factis & dictis eius, qualis intentio esse potuerit, sentire meremur. **¶ Quæritur igitur, in faciẽ intendentes huius filij hominis, quid sibi uoluerit tantopere requisire meritũ fidei, ut diceret cæcis istis, creditis quia possum facere hoc vobis, statimque secundu[m] fidem vestram (ait) fiat vobis? Et paulo ante mulieri dixit, confide filia, fides tua te saluam fecit, & sparsim in omnibus scripturis tam ueteris instrumenti quam noui, fidem quærit, fidem approbat, fidem collaudat. Causa siue intentio dignationis eius non parua pendenda hæc est, curare antidoto competenti stultitiam antiquam nimis credulitatis, qua creditam fuit diabolo loquenti per serpentem ac dicenti. Scit enim deus, quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi uestri, & eritis sicut dii, scientes bonum & malum. Credidit mulier diabolo plus quam deo, quod taliter deberet illuminari: credamus nos eõtra ueritati, si ueraciter uolumus illuminari. Consideratio hæc, cum in cæteris, ubicumque dominus fidẽ quærit uel inuenit, tum in istis cæcis perpulchra est, dũ antequam illuminet eos, interrogans dicit. Creditis quia hoc possum facere uobis? Nostra quippe causa significabatur in illis, quod maxime ex eo cognoscendũ uel sentiendum est, quia cum aperti fuissent oculi eorum: **L. comminatus est eis dicens, videte ne quis sciat.** Hoc denique ualde ualuit in exemplum nobis reuocamus, quicumque prerogatiuam aliquam illuminationis qua genus humanum per fidem illuminatum est, accepisse uidemur. Ad quid enim uidemus, ne quis sciat, nisi ad hoc, ut occursum malum instantiæ aut elationis illuminatus cordis oculus effugiat? Veruntamen illi fecerunt sicut protinus subiunctum est. **L. illi autem circumdantes distamauerunt eum per totam terram illam.** Nos quoque digne facimus si non illuminationẽ nostrã lingua nostra, sed illuminatoris gloriam prædicent opera nostra. **¶ Igitur in duobus cæcis omnem intelligamus hominem, siue Iudæus siue Græcus ille sit, qui tunc reuera fiducialiter atque efficaciter ab illa luce uera grãam petit illuminationis, si uerum & probatũ, quæ offerat, nummum habet non fidei, sed fidei, **L. Egressis autẽ illis, ecce conuerserunt et hominẽ mutũ, demoniũ habentẽ, Et electo demone, locutus est multis. Et mirate sunt turbe, dicentes. Nunquã sic apparuit in Israel.** Hoc est quod inter cætera miramur, faciẽ huius filij attendentes, quia nunquam sic apparuit in Israel, nunquã super terrã talis faciẽ uisa est, inter oēs faciẽ patriarcharũ atque prophetarũ, oimque hominũ quicumque memorabilia super terrã operati sunt. Hoc fida discretionẽ discernendũ est, quod nunquã talis faciẽ hominis fuit ut hæc. **L. Pharisei autẽ dicebãt. In principe demoniũ eicit demones.** Pharisei uero à deo diuisi, quã spirabant angustia atque penuria cordis sui, cordis amari, quod cum dicere nõ possent, nõ eicit demones: illuc se uerterunt, ut dicerent, **In principe demoniorum eicit demones.** Sed quia nõ semel hoc dixerunt, & alij adhuc locis similiter blasphemauerunt, sicut sequentiã post hæc indicabunt, iam nunc ad alia prope remus, quippe qui ultra propositum diuini nimis in contemplatione faciẽ hominis detinemur, cum & alias faciẽ cõtemplaturi, longũ nimis & fastidiosum opus fore suspicemus.****

**L. Et circũ**

Roma 11.

Propositũ in hoc opere

Quæstio de fide, cur hoc extigat a cæcis.

Responsio.

Gene. 3.

Quid de his nant illi duo cæci.



LEt circuitbat Iesus ciuitates omnes ⁊ castella, docens in synagogis eorum, ⁊ predicans euangelium regni, ⁊ curans omnem languorem ⁊ omnem infirmitatē. Videns autem turbas, misertus est eis, quia erant vexati, ⁊ iacentes sicut oues non habentes pastorem. Hoc maxime loco, spectabilis est ea, quam aspiciamus, facies hominis, quia facies est pietatis, facies misericordiæ ⁊ miserationis, ⁊ quidem homines illi, quos tunc aspiciebat facies ista, facies benigna, uexati erant ⁊ iacebant sicut oues non habentes pastorem, quippe qui sub nomine pastore lupos habebant. Annam ⁊ Caipham, de quibus recte dictū fuerit per prophetam. Principes eius in medio illius, quasi lupi rapiētes prædam, ad effundendum sanguinem ⁊ perdendas animas, ⁊ auarē sectantes lucra. Quomodo em̄ sub eiusmodi, non pastoribus, sed lupis oues uexatæ erant ⁊ iacebant. Nimirum sicut alibi per eundem prophetā inter cætera dicit. Quod infirmum fuit, non consolidastis: ⁊ quod ærotū, non sanastis: quod fractū est, non alligastis: ⁊ quod abiectum, non reduxistis: quod perierat, non quæstistis, sed cum austeritate imperastis ei ⁊ cū potentia. Quomodo autē, uel in quo misertus est eis, nisi in eo, ut iam inisteret facere illud quod facturū se ibidem fortiter prædixit: Ecce (inquit) ego ipse super pastores requiram gregem meū de manu eorum, ⁊ cessare eos faciam ut ultra non pascant gregem meū, nec pascant amplius pastores semetipsos, ⁊ liberabo gregem meū de ore eorum. Sed nūquid solas uidebat turbas, ⁊ earū tantum miserebatur quas tūc oculis corporalibus aspiciebat? Imò ⁊ omnes omnium gentium turbas, quæ in eum credituræ erant, oculis interioribus uidebat, ⁊ omnium miserefcens, aliam similitudinem induxit, dicens continuo discipulis suis. **M**essis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo dominum messis, ut eiciat operarios in messem. Hoc usq; hodie gemit omnis pater familias dominicæ messis, quia messis quidem multa est, operarij autem pauci. Nam, ut breuiter dictū sit, multæ quidem sunt turbæ in Christo credentiū, multi cœtus in cœnobijs siue xenodochijs sub sacra professione de gentium: sed in multitudine horū, pauci sunt qui operantur id est, qui ad illum peruenerint profectū, ut eis securē cura uel prouidentia cōmitti possit infirmiorum. Quid ergo faciat is cui credita est dispensatio siue procuratio messis eiusmodi? Roget utiq; dominum messis, ut mittat operarios in messem, id est, omni instantia postulet à deo, quatinus in pluribus subditorum multiplicet gratiam spiritualem, imitatus primum procuratorū talium, scilicet sanctum ⁊ fidelē Moysen. Cur (inquit ille ad dominū) afflixisti seruū tuum? Quare non inuenio gratiam coram te? Et cur imposuisti pondus in uenerū huius populi super me? Nunquid ego concepī hanc multitudinē uel genui eam, ut dicas mihi, porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum, ⁊ deser in terram pro qua iurauī patribus eorū? Deniq; quid Moyses in uerbis istis intenderit, quid isto tam grandi, tam uehementi gemitu postulauerit, deus exauditor cordis eius, sua responsiōe manifestum facit. Ait em̄. **C**ōgrega mihi septuaginta uiros de senioribus Israel, quos tu nosti quod senes populi sint ac magistri, ⁊ duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, ⁊ facies ibi stare tecum, ut descendam ⁊ loquar tibi, ⁊ auferā de spiritu tuo, tradamq; eis, ut sustinent tecū onus populi, ⁊ non tu solus graueris. Igitur quisquis procurator est dominicæ messis, secundum hoc exemplū fidelis Moysi roget supplementum, ⁊ dabitur illi ita dū taxat, ut ab omni sinistra æmulatione sit immunis, itidem secundum exemplum Moysi. Cum em̄ cucurrisset puer, ⁊ nunciasset Moysi dicens. Heldad ⁊ Medad prophetant in castris, statimq; Iosue filius Nun, minister Moysi, ⁊ electus ē pluribus dixisset, Domine mi Moyses prohibe eos, quid (inquit ille) æmularis pro me? Quis tribuat, ut omnis populus prophetet, ⁊ det eis dominus spiritum suum? Notandum interea, quod cum apud alium Euangelistam dicat, Rogate ergo dominū messis ut mittat operarios: hic apud hunc Euangelistam uehementius dictū est, ut eiciat operarios in messem. Quid em̄ est dicere, ut eiciat, nisi quia libenter ociosi sunt, etiam illorū quāmplurimi, quibus creditum est talentum operationis, ⁊ interdū quasi specie sanctitatis atq; perfectiōnis uolunt secretius uiuere soli sibi metipsis, cū prodesse possint ⁊ alijs. Eiciat dominus qui eiusmodi sunt. scilicet licet conueniendo conscientias eorū, ⁊ redarguendo quod damnose abscondant talentum sibi creditū. Eiciat (inquam) ut operentur quia reuera est eici, operatam quietem relinquere præ timo

**C**ōmiseratio  
Chri erga o  
ues, qbus lupi  
pro pastorib  
bus erant.  
& nunc sunt.  
Ezech. 22.  
Ezech. 34.

**O**parij pauci

**N**ume. 11.  
Moses oibus  
placis imitan  
dus ut exem  
plar.

**M**oses ab om  
ni æmulatiōe  
sinistra immu  
nis.

**L**uce. 10  
Ut eiciat o  
perarios in  
messem.



pre timore domini. **L** Et conuocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut eijcerent eos, et curarent omnem languorem et omnem infirmitatem. **D**uodecim autem apostolorum nomina sunt hec. Primus, Symon qui dicitur Petrus, et Andreas frater eius, Iacobus Zebedei et Iohannes frater eius, Philippus et Bartholomeus, Thomas et Mattheus publicanus, et Iacobus Alphaei et Thaddeus, Symon Cananæus et Judas Ischariotthes, qui tradidit eum. **A** pud Lucam iam conuocatis ac denominatis duodecim Apostolis, missurus & alios ad prædicandū dominus hæc uerba dicit, quæ hic eum, antequam istos duodecim conuocaret, dixisse legis, messis quidem multa, operarij autem pauci, &c. **C**ausa ista recte animū quæstione pulsaret, si prius constans existeret, quod dominus prædicans euangelium regni, nunquam uel nusquam unū eundemq; sermonem, nisi semel & uno loco dicere debuisset. Sed quis hoc à prædicatore exigit, ut quod uno in loco uel tēpore dixit, non repetat aut dicat, locis uel temporibus alijs, præsertim cum nec omnes uno in loco adesse, nec omnes æqualiter semel audita perpeti memoria possint retinere? **N**unc & in isto opere faciem dominantis uigilanter attende. Conuocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut eijcerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem. Si paulo ante, ubi eiecto dæmone locutus est mutus, merito miræ sunt turbæ, & ueraciter dixerunt, nunquam sic apparuit in Israhel: quāto magis de isto quod talem discipulis suis dedit potestatem, mirentur omnes, & dicant, nunquam sic apparuit in Israhel? Nunquid talis Moyses? Nunquid sua potestate ranas produxit, & muscas, aut alicui potestatem hanc dedit, ut produceret eas? Igitur hic deus noster est, & non æstimator alius ad eum, qui non qualecunq; ranas aut muscas, sed principes muscarum, id est, fordidum dæmones & ipse sua potestate eiecit, quod neq; Moyses neq; alius fecit. **E**t hominibus qbus uoluit, eijciendi potestatem dedit. **P**rimus (inquit) apostolorum Symon, quod dicitur Petrus. Et hoc ipsum nomen, quod est Petrus, ab ipso domino impositum est ei, cum diceretur Symon. **N**ā alius Euangelista, uidelicet Marcus, cum dixisset, & dedit illis potestatem curandi & eijciendi dæmonia, protinus hæc ipsa duodecim apostolorum nomina præscribens, & imposuit (inquit) nomen Symoni Petrus. **Q**ui huic uni ex omnibus in nouo testamento commutauit, ut qui uocabatur Symon, uocaretur Petrus: ipse est, qui similiter uni in ueteri testamento nomen commutauit, ut qui uocabatur Iacob, uocaretur Israhel. **I**pse est enim scriptor nominum, qualia ipse nosse dignatus sit, & habet librum conscriptum ex nominibus splendidissimis, quem sciens Moyses, dixit. **A**ut dimitte populo hæc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quæ scripsisti. **C**ui respondit dominus. **Q**ui peccauerit michi, delebo eum de libro meo, subauditur, & non te. **N**am postmodum, inuenisti enim (ait) gratiam coram me, & te ipsum noui ex nomine. **N**ec ab re est, quod & illius in ueteri, & huius in nouo testamento nomen commutauit: sed si prudens inspector assit, pulcherrimum est mysteriū huiusce commutationis, quia uidelicet hoc agebatur, ut fieret quod per prophetam dictum est. **E**t seruos meos uocabo nomine alio, in quo qui benedictus est benedicetur super terram. **E**orum uidelicet seruorum dei multorum, ille secundum carnem: ipse autem dominus noster Iesus Christus secundum spiritum pater est. **V**nde et pulcherrimum hoc est in mysterio spectaculum, quia pater ille secundum carnem principium multitudinis, duodecim filios, hic autem secundum spiritum principium Christianitatis duodecim genuit apostolos: et sicut illi patri secundum carnem, sic non sibi met quidem pater iste spiritualis, sed primo uicario suo pristinum commutauit nomen. **I**nterpretatur autem Symon obediens, Petrus à petra dicitur est, ipse nomine suo soliditatem ecclesiæ uel fidei catholice præfigens, quam ipse insigniter ita edixit, tu es Christus filius dei uiui. **S**aulo quoq; commutatum est nomen, ut uocaretur Paulus, sed differt commutatio hæc, quia uidelicet non ipse dominus illi ore suo commutasse legitur. **A**ndreas decorus siue respondens. **I**ohannes in quo est gratia uel domini gratia, et frater eius Iacobus, ambo Boanarges, id est filij tonitruui, nominati, uidelicet ex firmitate uel magnitudine fidei. **P**hilippus os lampadis. **B**artholomæus filius suspendentis aquas. **T**homas abyssus uel geminus, unde et græce διδυμος appellatur. **M**atthæus donatus qui et leui, uidelicet ex tribu ex qua ortus fuit. **I**acobus Alphaei, ob distin

CAP. X.

Lucæ. 10.

Chrs eundē sermonē quicq; sepius dixit.

Quanto maior p̄s Christi q̄ Moysi.

Marci. 3.

Gene. 32.

Exodi. 32.

Exodi. 33.

Esaie. 65.

Interpretatio nominum. 1. 2. Apostolorū Marci. 16.

Marci. 5.



ob distinctionem prioris cognominatus, qui dicitur Zebedæi, sicut iste filius Alphaei Symon Chananaeus ad distinctionem Symonis Petri, de uico Galilæe Chana, ubi aquas domini in uinum conuertit. Thaddæus, qui & Judas Iacobi, subauditur frater, qui alibi appellatur Lebbeus, figuratum nomen habens à corde, quod nos diminutue corculum possumus appellare. Judas Iscariothes, uel à uico in quo ortus est, uel ex tribu Issachar, uocabulum sumpsit, quodam præfagio futuri in condemnationem sui. Issachar enim interpretatur merces, ut significaretur præcium proditoris, quo dominum uendidit. Quare autem (inquis) dominus talem non solum ad discipulatum, uerum etiam ad apostolatam admisit? Nunquid nesciuit? Ad hæc breuiter dicendum, quia fecit hoc ob consolationem nostram, ob consolationem ecclesiæ futuræ, uel eorum maxime qui ecclesiis præfunt, ut cum eis aliquis perierit, respondeant derogantibus, dicant insultantibus: ne miremini, & Christo accidit. **¶** Hos duodecim misit Iesus, præcipiens eis, & dicens, *In uiam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, sed potius ite ad oues que perierunt domus Israel. Euntes autem, predicate dicentes, quia appropinquabit regnum celorum. Infirmos curate, mortuos suscite, leprosos mundate, demones eijcite. Gratis accepistis, gratis date.* Non, ut plerique arbitrantur, tunc duodecim apostolos dominus ordinauit, quando taliter eos conuocauit, & talem eis potestatem dedit, sed tantummodo elegit, & numerum eorum duodenarium præfixit. Non idem est elegi quod & ordinari siue sacrari. **¶** Quando ergo illos ordinauit siue sacrari? Nimirum quando sancti officio suo magnus ipse sacerdos, introiuit in sancta per suum sanguinem, tunc eos sacrari, & tunc resurgens à mortuis, plenam atque perfectam potestatem dedit eis, in hæc uerba, accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, itemque, Euntes (inquit) docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti. Hæc namque summa est apostolica potestatis atque uirtutis, remittere peccata per gratiam spiritus sancti, baptizatis in nomine patris & filij & spiritus sancti, quam uidelicet potestatem seu uirtutem, neque præfenti loco neque usquam in toto euangelio, ante passionem suam dedisse illis reperire poteris. Siquidem hic illum dixisse legis ut prædicarent, infirmos curarent, demones eijcerent, mortuos suscitarent, leprosos mundarent: sed non etiam hoc ut baptizarent & peccata remitterent. Baptizauerunt quidem aliquando, scilicet cum impleret cursum suum nondum traditus Iohannes, sed non baptizauerunt ab ipso domino iussi, imò tantum exemplo uel baptismo Iohannis, cuius & plerique illorum erant discipuli. **¶** Quare autem duodecim mittens & eos instituens, in ipso institutionis initio dixit, in uiam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis? Nimirum quia necdum tempus erat: neque hoc, ut iam fieret, diuinæ rationis aut euangelicæ prædicationis ordo poscebat. Quid enim iam tunc prædicaretur gentibus? Ut circumciderentur, an ut baptizarentur? Sed profecto circumcisio iam in Christo finem accipiebat, baptismi autem sacramentum necdum conditum erat. Hoc namque sacramentum in Christi passione uel morte conditum est. Hinc Apostolus. *Quicumque (ait) baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus, & cætera.* Bene igitur in uiam gentium (inquit) ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis. **¶** Sed quid? Potius (ait) ite ad oues quæ perierunt domus Israel. Denique ad illud quod tunc præfentialiter agendum instabat negotium, permittebat ire tantummodo ad oues quæ perierant domus Israel, oues pastorem non habentes, homines uexatos atque iacentes, quippe quibus neque dux, neque princeps, neque rex erat, neque pontifex: sed sub nomine pastorum lupos habentes, lupos graues, lupos rapaces, & inde pereuntes. Et quid faciemus ad illas oues? Euntes autem (inquit) predicate dicentes, quia appropinquabit regnum celorum. Nimirum quod pertinet ad rationem ouium, appropinquare regnum celorum, hoc est aduenisse iam pastorem magnum ouium, ad uisitandum oues suas, sicut per prophetam Ezechiel prædixit. *Ecce (inquit) ego ipse requiram gregem meum de manu eorum. Item. Ecce ego ipse requiram oues meas, & uisitabo eas sicut uisitat pastor gregem suum in die quando fuerint in medio ouium suarum dissipatarum.* **¶** Et quia nec oues ipsæ omnes uisitationem suam uel pastorem suum cognoscere habebant, imò & hircinis cornibus plerumque illarum percussuræ

Judas Iscariotes.

Quoniam ordinati, et sacrati sunt Apostoli.  
Heb. 9  
Iohan. 20.  
Matth. ul.

In uiam gentium ne abieritis.

Roma 6

Ite ad oues Israel.

Magnus pastor ouium Christus

Ezech. 34

Iudicium de quibus.



cussuræ erant oves optimas, occidendo, crucifigendo, flagellando, & de ciuitate in ciuitatem persequendo. Item postmodum dicit, Ecce ego iudico inter pecus & pecus, arietem & hircum. Et rursum, Ecce ipse iudico inter pecus pingue & macilentum, pro eo quod la teribus & humeris impingebatis, & cornibus uestris uentilabatis omnia infirma pecora, donec dispergerentur foras. Huiusce iudicationis consummatio tunc erit, cum uenerit filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oves ab hædis, & stauet oves quidem à dextris, hædos autem à sinistris. Hoc erit regnum cælorum, missis hædis in ignem æternum, transire oves in uitam æternam. Et inducam eas (inquit) in terram suam, & pascam eas in montibus Israhel, in riuibus & in cun-ctis sedibus terræ, in pascuis uberrimis pascam eas, & in montibus excelsis Israhel erunt pascuæ eorum, & ibi requiescēt. Hoc (inquam) est regnum cælorum, & quia pastor iste iam uenit, propterea dico uobis nunc, ut euntes ad oves, quibus hoc per scripturam prophetiam promissum est, prædicetis dicentes, quia appropinquabit regnum cælorum. Et quia difficile est ut credant, me esse ipsum dominum deum uisitantem oves suas, sicut uisitat pastor gregem suum, facite quæ dico. Infirmos curate, mortuos suscite, leprosos mundate, dæmones eijcite. Hæc facite in testimonium, ut de uisitatione sua gaudeant quidem oves, sint autem hirci inexcusabiles. In his autem omnibus alina sit intentio cupiditatis ab operatione uirtutis. Gratis enim accepistis, & ideo gratis data. Quis enim uestrum mihi prior dedit, & retribuetur ei? Potestas ista, quam dedi uobis, non est alicuius dati uestri retributio, sed est omnino spontanea & gratuita donatio. Non solum autem uos, uerum etiam ante uos, & prophetæ, & patriarchæ, & alij, quicumque dicunt & ueraciter dicunt, de plenitudine eius nos omnes accepimus, quamcumque operationem uirtutum, quam leuicumque gratiam acceperunt, gratis acceperunt. Et uos igitur gratis date. Et enim quicumque gratis non dedit, non erit, quemadmodum illi grati & gratiosi. Exempli gratia, quæ admodum Helisæus, qui Naaman Syro, quem à lepra sua mundauerat, dicenti sibi obsecro ut accipias benedictionem à seruo tuo, uiuit (ait) dominus ante quem sto, quia non accipiam, cumque uim faceret, penitus non adqueuit: sed erit quemadmodum Ciezi, qui dixit. Pepercit dominus meus Syro isti, ut non acciperet ab eo quæ attulit, uiuit dominus, quia curram post eum, & accipiam ab eo aliquid. Cucurrit & accepit, & cum reuersus esset, lepra Naaman adhæsit ei. L. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis uestris. Non peram in uia, neque duas tunicas, neque uirgam. Bisignus est enim operarius cibo suo. In quamcumque ciuitatem aut castellum intraueritis, interrogate, quis in ea dignus sit, & ibi manete, donec creatis. Hæc est illa ordinatio domini, cuius apostolus, ad Corinthios scribens, ita meminit. Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt. Qui altari deseruiunt, cum altari participantur. Ita & dominus ordinauit his qui euangelium annunciant, de euangelio uiuere. Ad quid enim, neque aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis, neque peram habeant prædicatores euangelij, nisi quia, neque necesse est neque expedit? Seminantes enim sua spiritalia, iure illorum, quibus seminant, metere debent carnalia: secundum istam sententiam à iustissimo prolata domini, dignus est enim operarius cibo suo. ¶ Est autem hic aliquid querendum, quia cum apud hunc Euangelistam ita scriptum sit, neque duas tunicas, neque uirgam: apud alium Euangelistam ita scriptum est: & præcepit eis ne quid tollerent in uia, nisi uirgam tantum. Et quidem si unam tantum uirgam sciremus, difficilius ista queritio solueretur. Nunc autem duæ uirgæ sunt, altera regum gentium, alia discipulorum Christi. Uirga regum gentium, uirga est dominationis: uirga discipulorum Christi, uirga dilectionis, uirga pastoralis officij, super curam animarum sollicitæ uigilantis. Illa uirga, quæ dominationis est, non est concessa ministris euangelij pacis, & illa interdicitur hic, dicens, neque uirgam: amplius autem illic. Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos benefici uocantur, uos autem non sic. ¶ Porro uirgam disciplinæ, uirgam pastoralis sollicitudinis ac uigilantiæ, non solum nunquam interdixit, uerum etiam ab initio iussit, ab initio inquam, id est, ex quo primum pastores animarum mittere co-

ibidem.

Math. 27.

Ezech. 34

I-Cor. 4

Iohan. 7.  
4. Reg. 5

I. Cor. 9

Questio.  
Marci. 6  
Resposio.  
Duplex uirga, una regum, altera postorum.

Lucæ. 22.





pit. Talium nanque primi fuerunt Moyses & Aaron. Illis utiq; cum mitterent eos, non praecepit dominus, ut quicumque tollerent in uia, nisi uirgam tantum. Quid est (ait ipse ad Moysen) quod tenes in manu tua? Respondit. Virga, ait. Projice eam in terram. Proiecit, & uersa est in colubrum, & caetera. Et subinde. Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa. Quid aliud praecepit huic uel fratri eius Aaron, ut tollerent in uia, nisi uirgam tantum illam? Sic nimirum Euangelistis omnibus, cunctis euangelij praedicatoribus, nihil aliud praecepit in uia sua tollere, nisi uigorem pastoralis curae, nisi legem uitae ac disciplinae, & pro huius rei signo interdum uirgam quoque materialem manum gestare. ¶ Porro uirgam dominationis (sicut iam dictum est) apud istum Euangelistam interdicit. Quod sciens Apostolus Petrus dicit. Neque dominationes in clero, sed forma facti gregis. Et PAVLVS ad Corinthios, Parcens (inquit) uobis non ueni ultra Chorinthum, non quia dominamur fidei uestrae, sed adiutores sumus gaudij uestri. Nam fide statis. Quid, si non fide staretis? Vtique tunc in uirga uenirem ad uos, nunc autem in spiritu mansuetudinis. Quid igitur Euangelistae sunt uel erant facturi, si neque aurum neque argentum possidere concessum est eis, neque pecuniam in zonis? Ait. Dignus est enim operarius cibo suo. Et continuo subiungit. In quamcunque ciuitatem aut castellum intraueritis, interrogate, quis in ea dignus sit, & ibi manete donec exeatis, edentes & bibentes quae apud illos sunt, sicut Lucas manifestius meminit. Hac fiducia neque aurum neque argentum neque zonas aere fecundas admittunt, aut admittere debent suo comitatu, ministri uerbi domini, quia debitor est illis omnis auditor eiusdem uerbi domini, ut illud os impleat cibo corporali, de quo uerbum uitae accipit, qui cibum est spiritualis, ut confidenter dicat. Si nos uobis nostra spiritualia seminauimus, magnum est si uestra carnalia metamus? Nunquid aliquem unquam omnipotentis uernulam uerbis ista frustra uit. Immo & si totus fere mundus aliquando esuriat, & pane indigeat, iustum illum, cuius in corde domesticum, cuius in ore familiare est dei uerbum non uidebis derelictum, & uerum est quod scriptura dicit, non interficiet dominus fame animam iusti. Exempli gratia. Cum reges & principes esurirent in Israhel, & Helias fortissimus uerbi dei minister superesset, nec haberet qui eum pasceret. Recede hinc (ait dominus) & abscondere in torrente, & ibi de torrente bibes, cor uisq; praecepi ut pascant te. Rursus cum post dies sic catus esset torrens, non enim pluerat super terram, Surge (inquit) & uade in Sareptha Sydoniorum & manebis ibi. praecepi enim ibi mulieri uiduae ut pascat te. Sublata est igitur omnis cupiditatis uel miserae sollicitudinis occasio, ut sit Euangelistarum liber animus & non ipsi aurum dominetur, sed ipse auro & omnibus quae possident homines dominetur, et de omnibus nihil nisi uictum et uestitum accipere dignetur. Quomodo autem quisquam audeat illis haec, scilicet uictum et uestitum, subtrahere aut inuidere? Reuera nullo modo, nisi semetipsum iudicare uelit indignum aeternae uitae. Nam haec est ipsius sententia uerbi, ministros suos in suum opus emittentis. In quamcunque ciuitatem aut domum intraueritis, interrogate quis in ea dignus sit, et ibi manete donec exeatis. ¶ Intraueritis autem domum, salutate eam, dicentes. Pax huic domui. Et si quidem fuerit domus digna, ueniet super illam pax uestra. Si autem non fuerit digna, pax uestra ad uos reuertetur. Et quicumque non receperit uos, neque audierit sermones uestros, euehentes de domo uel ciuitate, euehite puluerem de pedibus uestris. Amen dico uobis, tolerabilius erit terre Sodomorum & Gomorreorum in die iudicij, quam ciuitati illi. Hoc est quod gaudere grati, quod timere debent ingrati. Discernuntur enim grati ab ingratis, recipientes a non recipientibus iudicio mirabili, iudicio terribili. Nam super istos requiescit pax, super illos coelestis secundum exemplum Sodomorum et Gomorreorum irruit ira. ¶ Reuocemus ad memoriam illam in Sodomis rem gestam, et secundum illius similitudinem clarius animaduertere poterimus praesentem rei ueritatem. Missi Sodomam uenerunt uespere duo angeli, sedente Loth in foribus ciuitatis. Non expectauit ille, uidelicet Loth, ut illi hospitium postularent, aut interrogarent qui in domo eius essent digni hospitibus tantis, sed obuiam uadens et adorans, obsecrauit, & obsecrando compulit, ut ad eum diuerterent. Et

Exodi. 4

1. Petri. 5  
2. Cor. 1.

1. Cor. 4

Luc. 10.

1. Cor. 9

Psal. 36  
Prouer. 10

3. Reg. 17

Pax sup. Loth  
ira super Sodomam.

Gene. 17

quia ing  
domum  
habes, ne  
tergam,  
eius ac d  
runq; ex  
Gomorre  
similitud  
pax uestr  
& tolerat  
Ve dictu  
recepti, &  
pax ipse  
ciuitati re  
pic, nec fo  
uit, & in  
peccato  
electa est  
& non ce  
a domus  
sed in ea  
circumdo  
pheta fil  
comprehe  
rabilibus  
secundum  
tam separ  
tate illa, e  
Apostolo  
luporum  
Laure  
is flagell  
um illis  
bat quod  
tradendi,  
sciendus  
nus coram  
dicentem  
orum, nor  
regis, out  
milites nu  
stabile est  
nostram te  
hoc iccirco  
am secur  
liter elusif  
go facio in  
quia non  
sequantur  
utiq; non  
cit, ecce eg  
laosq; sequ



quia ingressus domum suam fecit conuiuium, coxit azyma, & comederunt, uenit super domum illam pax eorum, ut dicerent ad eum. Surge, tolle uxorem tuam & duas filias quas habes, ne & tu pariter pereas in scelere ciuitatis. Salua animam tuam, noli respicere post tergum, & cætera. Simul hæc dicentes, apprehenderunt manum eius & manum uxoris eius ac darum filiarum eius, eo quod parceret dominus illi, & eduxerunt eum, posueruntq; extra ciuitatem. Ita super eum pax quædam requieuit, super Sodomam autem & Gomorram ira uenit, scilicet ignis & sulphuris pluuia, quæ illos subuertit. ¶ Iuxta hanc similitudinem si fuerit domus digna (inquit dominus) Euangelistis suis, super eos ueniet pax ueltra: si autem non fuerit digna, exeuntes (ait) excutite puluerem de pedibus uestris, & tolerabilis erit terræ Sodomorum & Gomorreorum in die iudicij quàm ciuitati illi. Ve dictum, ita & factum est. Etenim super ecclesiam gentium, quæ Apostolos Christi recepit, & alacriter (ut dignum erat) respōdit dicentibus, pax huic domui, pax apostolica pax ipse Christus, quemadmodum dicunt, ipse est pax nostra, uenit & requieuit. ¶ Illi autē ciuitati terræ Hierusalem, imō Sodomæ atq; Gomorrhæ, quæ pacem istam non recepit, nec solum non recepit, uerum etiam crucifixit, qualiter iam acciderit, totus orbis audiuit, & in die iudicij nulli est dubium, quin iudicandum sit peccatum eius, intolerabilis peccato Sodomorum, quemadmodum & Hieremias in lamentationibus dicit. Et maior effecta est iniquitas filiarum populi mei peccato Sodomorum, quæ subuersa est in momento, & non ceperunt in ea manus. Quid enim de illa Sodoma dictum est, & non ceperunt in ea domus, nisi quia uoluerunt quidem illudere uiros Sodomitæ qui introierant ad Loth, sed in ea uidelicet Sodoma nullus fuit, cuius manus caperent illos, Nam domum quidem circumdederunt, sed manus eorum uiros illos non ceperunt. At illa quam dicit idem propheta filiam populi sui, dominum ipsum & armis circumdedit & manibus cepit, atque comprehendit, illiuit, conspuuit, flagellauit, crucifixit, occidit. Rectissime igitur tolerabilis erit in die iudicij Sodomæ & Gomorrhæ, quam ciuitati illi & omni genti, quæ secundum exemplum illius missos ad se ministros salutis non recepit. ¶ Et nota uehementiam separationis & horrendi anathematis, in eo quod dicit, exeuntes de domo uel ciuitate illa, etiam puluerem excutite de pedibus uestris, quod eos fecisse, Lucas in Actibus Apostolorum manifestissime meminit. **Ecce ego mitto uos, sicut oues in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbe. Cauete autem ab hominibus. Tradent enim uos in concilijs, & in synagogis suis flagellabunt uos, & ad præfides & ad reges ducemini propter me, in testimonium illis & gentibus.** ¶ Propterea supra dixit, & quicumq; non receperint uos, quia sciebat quod non essent ab omnibus recipiendi, imō à quàm pluribus eniciendi, & ad mortem tradendi. Et ipse quoque primus erat eniciendus, & ad mortem tradendus. Quomodo eniciendus? Qualiter tradendus? Sicut ouis (ait Esaias) ad occisionem ducetur, & sicut agnus coram torquente se obmutescet, & non aperiet os suum. Sed & Iohannem Baptistam dicentem audierant. Ecce agnus dei, qui tollit peccata mundi. ¶ Multis in locis euangeliorum, in omnibus utitur huiusmodi scilicet pastoris & ouium, atq; agnorum, pastoris non regis, ouium non militum, Sed & seipsum pastorem non regem, suos discipulos oues, non milites nuncupans. Quod cum ubiq; diligenter animaduertendum sit, illic maxime delectabile est, ubi cū illi de regio nomine calumnia strueretur, à dicentibus. Quousq; animam nostram tollis, si tu es Christus, dic nobis palam. Christus quippe regium est nomen, & hoc cicero dicebant, ut in isto nomine captum possent accusare apud Cæsarem, aut etiam secure inuadere tanquam propter Cæsaris fidelitatem: taliter euasit sapiens corde, taliter eluit superbos & inuidos, mitis & humilis corde. Loquor (ait) uobis, & opera quæ ego facio in nomine patris mei hæc testimonium perhibent de me, sed uos non creditis, quia non estis ex ouibus meis. Oues meæ uocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego uitam æternam do eis, & cætera usq; ego & pater unum sumus, quod uos non minus est quàm si palam dixisset eis, ego sum Christus. ¶ Igitur & hic cum dicit, ecce ego mitto uos sicut oues in medio luporum, & ubicunq; se pastorem profiteratur, quousq; sequaces nuncupat oues, duplicem affert utilitatem, quia & illos informat ad mansuetudinē

Pax Euangelistis  
stat super recipientes eos

Ephe. 3.

Thren. 4.

Gene. 19.

Horrendum  
anathema.  
Actu. 13.

Esaiæ. 53.

Iohan. 10.

Iohan. 10.

Discipuli Christi  
sicut oues in  
medio luporum





suetudinem, ut discant ab eo quod sit mitis & humilis corde, & cum omnibus hominibus pacem studet habere, ut nullam habeant aduersus eum occasionem iustæ querelæ. Exitus probauit, quàm ueraciter ob hoc prædictum fuerit, Ecce ego mitto uos sicut oues in medio luporum. Vbi enim exequébantur suæ missionis officium, diuersis in locis ab hominibus impijs tanquàm oues à lupis inuasi sunt, lacerati sunt: & cum male tractarentur, non aperuerunt os suum, inter omnes & apud omnes ita prudentes sicut serpentes, ita simplices sicut columbæ. ¶ In quo prudentes sicut serpentes? In eo nimirum quod cum flagellarentur, occiderentur, lapidarentur, & de ciuitate in ciuitatem dispellerentur, cautissime ac uigilantissime agebant atque patiebantur, tradentes quidem lupis rapacibus corpora sua, custodientes autem deo creatori suo corda sua, secundum similitudinem serpentis, qui dum percutitur, totum percutienti obijcit corpus, maxime pro capite sollicitus, ut quoniam uulneribus carere non potest, saltem caput in quo sibi uita est, utitur quæ protegatur. Nonne caput huiusmodi ouium est agnus dei Christus? Pro quodum corpora sua tradunt ad supplicia, & dispendium uitæ præsentis sustinent, ut Christum lucentur, profectò prudentes sicut serpentes inueniuntur. ¶ In quo autem simplices sicut columbæ? In eo uidelicet, quod nihil eorum faciunt, quæ corui solent facere: corui inquam, id est, homines mali, rapaces, cupidi, pro mundo uel pro his quæ mundi sunt litigantes, inuicem mordentes, inuicem laniantes. Ita fit, ut dum nihil rapiunt, nullius rem concupiscunt, & omnia innocenter aspiciunt oculis simplicibus, oculis columbarum, nec solum non rapiunt, uerum etiam derelinquunt, dando in usus pauperum: quemadmodum oues & lac suum & lanam suam capientibus non contradicunt, & in super corpora sua percutientibus exponunt, solum custodientes caput suum Christum. Ita inquam sit, ut & lupis & leonibus & uris nulla sit occasio porrecta lacerandi eos, flagellandi eos, occidendi, & de ciuitate in ciuitatem persequendi eos. ¶ Cauete autem ab hominibus, Tradent enim uos in concilijs, & in synagogis suis flagellabunt uos, & ad præsidēs & ad reges ducemini propter me, in testimonium illis & gentibus. Hic est effectus similitudinis serpentium, quem dixit, Estote ergo prudentes sicut serpentes, scilicet cauere ab hominibus, ut subaudias uel subintelligas, ne homines percutiant caput, totumque obducite, & percutient dum exponite corpus, secundum similitudinem serpentis, de quo iam supra dictum est. Nam hoc est cauere ab hominibus, scilicet intentos esse, & ualde sollicitos, ne fiat quod homines moluntur, ne uos aut terroribus concutiant, aut blandimentis seducant, ut negligatis, metu mortis, Christum qui est caput uestrum. ¶ Terribile ualde est, si rite perpendas, quod cum dixisset, & in synagogis suis flagellabunt uos, & ad præsidēs & ad reges ducemini propter me, addidit, in testimonium illis & gentibus. Cuius nam rei in testimonium? & quo in tempore reuelandum est testimonium? Nimirum in die iudicij, quando faciendum erit, ut (quemadmodum supra dixit) tolerabilius sit terræ Sodomorum & Gomoreorum quam illi ciuitati, quæ uos (inquit) non receperit. Quale enim erit in illa die huiusmodi testimonium contra se uidere, ut non se possint excusare, & dicere, domine, quando misisti nuncios tuos ad nos, qui prænunciarent de iudicio isto, & non recepimus eos? Diceret enim illis rex sedens super sedem maiestatis suæ, Amen dico uobis, ecce isti sunt quos misisti ego in medio uestrum, sicut oues in medio luporum, & ecce cicatrices flagellorum, quibus flagellastis eos in synagogis uestris: immò ecce signa clauorum in manibus & pedibus meis, quibus me confixistis, Vnde & nunc scio reprobare malum & eligere bonum, certum habens tam ex me ipso, quàm ex istis, quos sicut me & propter me occidistis & persecuti estis, contra uos testimonium, atque inde est irreprehensibile iudicium. **L**um autem tradent uos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini: **D**abitur enim uobis in illa hora, quid loquamini. Non enim uos estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri qui loquitur in uobis. Sicut cauere ab hominibus (ut supra dixit) prudentiæ serpentinæ, ita quod nuuc dicit, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, simplicitatis est columbinæ. Simplicitas eiusmodi socia est ueritatis, angulum non querentis, dum foris pulsata quæstionibus, statim respicit intus, nec aliud scit aut uult eloqui, nisi quod in conscientia suæ libro scriptum inuenit, scribente, id est suggerente

Estote prudentes sicut serpentes.

Simplices sicut columbæ

Quid est cauere ab hominibus.

In testimonium illis & gentibus

Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini.



gerente spiritu dei, qui & ipse ob significandam simplicem suimet ueritatem super domi-  
 num nostrum in specie columbae apparuit. Simile quid & nobis agendum est, tanquam  
 si hic idem optimus informator dicat nobis. ¶ Cum autem acceditis ad tractandum uer-  
 bum dei, nolite praecogitare qualibus uerborum Phaleris sanctae scripturae sensum exor-  
 netis, dabuntur enim uobis uerba sponte uenientia, de spiritu patris uestri, quae utique  
 quanto magis sponte uenient, tanto & uobis minus fatigationis, & audientibus siue legen-  
 tibus plus afferent delectationis. O quam dulce, quam praecclarum est ea, quae loquimur  
 aut scribimus, talia esse, ut ea prudens auditor siue beniuolus lector, nequaquam dignetur  
 ascribere nobis, dicatque, non enim uos estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri qui lo-  
 quitur in uobis. ¶ Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium. Et  
 consurgent filij in parentes, & morte eos afficient. Et eritis odio omnibus,  
 propter nomen meum. Qui autem perseverauerit usque in finem, hic saluus erit. ¶  
 Sicut hic audiuius praedictum, ita & uidimus factum, ut confidenter dicamus. Sicut au-  
 diuimus, sic uidimus in ciuitate domini uirtutum. Nam quod praemisit illic, ibi dolores ut  
 parturientis, maxime sanctos martyres respicit, quorum dolores fuere non parui, tunc  
 praecipue, quando frater fratrem, & pater filium in mortem tradidit, & filij in parentes  
 consurrexerunt, & morte eos affecerunt propter nomen Christi. Reuera ibi dolores ma-  
 gni, ueruntamen non qualescunque, sed ut parturientis. Nam qui perseverauerit usque in fi-  
 nem (ait) hic saluus erit, & salus sic cum faciet dolorum omnium obliuisci, sicut filius na-  
 tus mulierem quae peperit. Cum enim pepererit puerum iam non meminit praesurae pro-  
 pter gaudium, quia natus est homo in mundum, Magnus igitur etiam in doloribus istis  
 dominus & laudabilis nimis, magna gloria & magnus honor huius filij hominis: quia sic  
 cut de ipso spiritus sanctus praedixit rat. De torrente in uia bibit, propterea exaltabit caput  
 ita & ipse suis praedicat futuris militibus, quod bibituri sint similiter, propinantibus cogna-  
 tis & amicis & parentibus, & propterea suum in salutem debeant exaltare caput. ¶ Quid  
 si non ualeant aliqui teneriores ciuisi nodi sustinere dolores? Ait. ¶ Si autem persequen-  
 tur vos in ciuitate ista, fugite in aliam. Amen dico uobis, non consummabi-  
 tis ciuitates Israel, donec regnum dei ueniat. ¶ Ergo quisquis es & prudens,  
 & simplex praedicator siue auditor euangelij, prudens ut serpens, simplex ut columba, no-  
 sic praesumas de spiritu fortitudinis, ut obliuiscaris huiusce consilij. Vnde enim scis utrum  
 uere habeas spiritum fortitudinis? immo unde scis, utrum amore an odio dignus sis? Non  
 ergo nimis cito temetipsum praecipites in caminum tentationis, sed timens ne forte marty-  
 rio dignus non sis, cum te persecuti fuerint in una ciuitate, fuge in aliam, quia non est uo-  
 lentis neque currentis, sed miserentis dei, & iustius necessitas quam uoluntas coronam pa-  
 rit. ¶ Veruntamen si expertus es ueraciter, quod donum uel gratiam habeas supernae for-  
 titudinis, & hoc tibi spiritus sanctus aliquo modo reuelauit, pulchrum est, laudabile est, ut  
 uexillum crucis ultro arripas, & percurrens contra hostem in procinctu fidei, confirmes  
 infirmos, & speranda a deo fortitudinis exemplum illis praebes. Alioquin tutius est, ut  
 fugias in spiritu humilitatis, in spiritu timoris domini: quia Petrum quoque Apostolo-  
 rum principem, cum sibi uideretur fortis, ancilla ostiaria terruit. ¶ Forte dicis. Quo fugi-  
 am? Quam ciuitatem ad eam? Nunquid nobis fugientibus multae aperientur ciuitates?  
 Ad haec ille. Amen dico uobis, non consummabitis ciuitates Israel donec regnum dei  
 ueniat. Ac si dicat. Haec tenus paucae fuerunt ciuitates Israel, ita ut cunctas olim una pose-  
 sideret mulier Iezabel, quae regnauit in Samaria cum filia sua Otholia impiissima, quae re-  
 gnauit in Hierusalem. Tunc ita paucae fuerunt ciuitates Israel, ut cum occiderentur pro-  
 phetae in una ciuitate, non haberent aliam, in quam fugerent, sed circuibant in melotis,  
 in pellibus caprinis, egentes, angustati, afflicti, nisi quod Abdias, secundum nomen  
 suum seruus domini, pauit ex eis centum uiros, quinquagenos & quinquagenos in  
 speluncis. At nunc tot erunt ciuitates ISRAHEL, tot erunt per orbem terrarum,  
 ciuitates siue ecclesiae meo nomini dicatae, qui sum uerus ISRAHEL, ciuitates  
 hospitales, ecclesiae pauperum fidelium susceptrices, ut non possit quiuis consumma-  
 re illas, donec regnum dei ueniat. Nemo quippe tam diu in ista peregrinatione uiuit  
 aut uiuet,

Lucæ. 5.  
 Iohan. 7.  
 Abiq̄ phalea  
 ris uerborum  
 tractada scrip-  
 ptura.

Dolores, ut  
 parturientis, in  
 martyribus  
 Psalm. 47.

Iohan. 34

Psalm. 109

In persecutioni-  
 bus non occur-  
 rendi, sed fugi-  
 endum est.  
 Eccles. 5.

Roma. 9

Matth. 24

3. Reg. 18.

Hebrae. 11.



uiuere aut uiuet, ut fugiendo pertransire possit omnes, quæ in me credituræ sunt, eis uitates, tales fugitiuos libenter suscipientes, consolantes, honorificantes, & me in illis se recipere non uane existimantes. ¶ Non est discipulus super magistrum, nec seruus super dominum suum. Sufficit discipulo, ut sit sicut magister eius, & seruus sicut dominus eius. Si patremfamilias Beelzebub uocauerunt, quanto magis domesticos eius? Ne ergo timueritis eos. ¶ Quo respectu uel qua intentione dixerit, non est discipulus super magistrum, nec seruus super dominum suum, Sufficit discipulo ut sit sicut magister eius, & seruus sicut dominus eius: manifestat subdendo, si patremfamilias Beelzebub uocauerunt, quanto magis domesticos eius? Sufficiens hæc cunctos discipulos ueritatis, omnes seruos altissimi suauissime consolatur, dum traduntur in concilijs, dum flagellantur in synagogis, dum ducuntur ad reges & præfides, & odio sunt omnibus, et morte afficiuntur propter nomen domini. Amplius quærere non debet, ne forte fiat discipulus contrarius magistro, aut seruus in contrarium dissimilis domino suo, quia nil magis contrarium quàm ut discipulus superior magistro, seruus maior esse uelit domino suo, quod est uelle ab hominibus glorificari, & beneficiis cum uocari: cum ille tantus dominus ab hominibus reprobatus, & Beelzebub uocatus fuerit, uelle per delicias in regnum dei, cum ille magister humilitatis per mortem, mortem autem crucis, in regnum suum peruenerit. Hoc sibi met sufficere iudicet perfectus discipulus & fidelis seruus, ut sit sicut magister & dominus suus: qui inde magister, quod homo: inde dominus, quod deus est. Et secundum hoc iudicium respondeat aduersario, si forte insultans in tribulatione dixerit, ubi est deus tuus, aut certe non curat de te deus tuus. Ne ergo timueritis eos. ¶ Nihil enim opertum quod non reuelabitur, & occultum quod non sciatur. Quod dico uobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, predicare super tecta. ¶ Ne (inquit) timueritis eos, ne timueritis eorum iudicium male de uobis iudicantium, dum odio uos habent propter nomen meum, & eijciunt nos: men uestrum tanquam malum. Quid autem esset timere eos siue iudicium eorum, nisi sperare de prouidentia dei, quod non curet aut non dignetur respondere pro humilibus seruis suis, & bonæ illorum conscientie uerum perhibere testimonium? Timore huius modi omnino ne timueritis eos. Nihil enim opertum quod non sciatur. Veniet dominus (inquit Apostolus) qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit concilia cordium, & tunc laus erit unicuique à deo. ¶ Nam de malis quidem electorum actibus non nihil opertum, non nihil remanebit occultum, cum scriptum sit, Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Et sapientia dicat deo, dissimulans peccata hominum propter poenitentiam. Quo dicto satis innuit misericordem deum uelle aliud quid de peccatis nostris sibi met ipsi quodam modo esse occultum, sed de bonis cuiusque actibus, siue de conscientie bonorum hominum, quas ignorantes homines plerumque de bonis male sentiunt, & indiscretum super eos præcipitant iudicium, de bonis (inquam) nihil omnino est opertum quod non reuelabitur, & occultum quod non sciatur. ¶ O quantæ in præsentem quoque uita reuelauit, & sciri fecit deus circa suos electos, etiam ipsis nolentibus, dum propter humilitatis custodiam semetipsos abscondunt, & opera sua uideri cauēt ab hominibus. Nouit ipse quos quomodo & quorum propter utilitatem oporteat reuelari, uel sciri etiam nunc, ante illam illuminationem siue manifestationem uniuersalem, quam Apostolus (ut iam dictum est) expectandam pronunciauit, nolite (inquiens) ante tempus iudicare, quo ad usque ueniat dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, Beatum Iob reuelatum esse & sciri uoluit, quàm esset simplex & rectus ac timens deum, & recedens à malo, & sanctos innumerabiles, qui per humilitatem apud semetipsos latere uoluissent, non solum cognosci fecit ex operibus bonis, uerum etiam nonnunquam uerbis ipsorum secreta cordis eorum utiliter reuelauit, ut facerent quod hic continuo subiunctum est. ¶ Quod dico uobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, predicare super tecta. Quid enim ipse dicit in tenebris, & quid in aure loquitur, uerbum dei deus ipse Iesus CHRISTVS, nisi reuelationes dei, quas in occulto quasi in tenebris, ubi homines non uident, quando uult & prout uult per spiritum

Consolatio seruos Christi.

Non est discipulus super magistrum.

Ne ergo timueritis eos.

1. Cor. 4

Psal. 37  
Sapient. 11.

1. Cor. 4

Iob. 1.

Quod dico uobis in tenebris, sed in aure reuelat.



per spiritum sanctum immittit: Et hoc bonum quidem per humilitatem abscondere, & occultum tenere, uidelicet quando & quomodo gratiam, qua illustratus est, quis acciperit, optimum autem reuelare pro gloria & honore dei, dum utilitatis causa exposcit, aut iusta necessitas exigit. ¶ Nam exempli gratia, nullatenus quisquam tam utiliter secreta dei donum qualiter acceperit silentio praeemit, quam utiliter Paulus uas electionis praedicauit, scribens Corinthiis inter caetera de semetipso, quod usque ad tertium caelum sine in paradysum raptus, audisset arcana uerba, quae non licet homini loqui. Nonne talia scribens dixit in lumine quod sibi dictum fuit in tenebris: & quod in aure audierat, super teeta praedicauit? Nempe & si non omnia dixit aut scripsit, quae in caelo illo tertio, in illo paradyso audiuit, quoniam audiuit (inquit) arcana uerba, quae non licet homini loqui, attamen hoc ipsum quod illuc usque raptus est, recte in tenebris dictum, & in aure auditum recte animaduertis, quia raptum eum illuc fuisse, & arcana uerba audisse nullus mortalium uidit, nullus audiuit, neque audire poterat, nisi de semetipso enunciaisset ipse qui uidit & audiuit. Ecce ergo dixit in lumine, quod sibi dictum est in tenebris, & praedicauit super teeta quod in aure audiuit. Imitantur autem illum quicumque praedicant gratiam sibi datam, exigente causa iustae necessitatis, & procul absente uento miseram uanitatis. **¶ Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Sed potius eum timere, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.** ¶ Hic recte dicat quis. Da domine quod iubes, & iube quod uis. Ecce iubes, ut non timeamus eos qui occidunt corpus, & ratio consentit, eum potius esse timendum qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Sed quae caro non timeat occidi? Petrus Apostolorum primus timuit, & mori timens, uitam negauit. Cur hoc, nisi nondum illi dederas ut non timeret, qui nisi seras ut non timeret? Postquam illi dedisti, potuit facere quod iussisti. Esto igitur fortitudo nostra, & fac in nobis quod tu nos facere uis. ¶ Veruntamen hoc primum debet scire fides, quod docendo iubes, & iubendo doces: & deinde spes orare, charitas impetrare, ut des ipse quod iubes. Operetur autem sicut ueram fidem, ita & firmam habere spem, ut non putet quisquam quamuis exiguus, quod ab altissimo non sit requirendus, eo quod paruus sibi uideatur & abiectus, cum scriptum sit. Quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est, non est oblitus clamorem pauperum. Item. Quoniam non in finem obliuio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem. Sequitur ergo. **¶ Nonne duo passeret asse ueneunt? Et unus ex illis non cadet super terram sine patre uestro. Uestri autem & capilli capitis, omnes numerati sunt. Nolite ergo timere, multis passeribus meliores estis uos.** ¶ Ecce quam fortiter humilitati huic maiestas ueritatis occurrit. Nonne (inquit) duo passeret asse ueneunt? Vera propositio, quia & fere omnibus notum est, quia duo passeret pro uili dantur praetio, & longe uiliiores sunt corpore & anima, quibus ex duobus consistit siue subsistit unus rationalis homo, & unus ex illis (inquit) non cadet super terram sine patre uestro. Assume & hoc, quicumque es uel esse cupis discipulus tanti magistri. ¶ Sed forte titubas & dicis. Quomodo unus passer sine patre nostro in terram non cadit, cum nec de boue, qui utique maior est passere, deo curata non sit? Denique Apostolus cum dixisset, scribens Corinthiis, scriptum est enim in lege Moysi, **¶ Non alligabis os boui trituranti, protinus ait. Nunquid de bobus cura est deo? An propter nos haec dicit? Vtique propter nos scripta sunt, quoniam debet in spe qui arat arare, & qui triturat in spe fructus percipiendi, & caetera. Quomodo ergo unus ex passeribus non cadit in terram sine patre uestro, si nec de bobus tanto maioribus, quam sint passeret, cura est deo? Ad haec inquam, Apostolus de lege scripta loquebatur, & hic est eius sensus, quod non fuisse deo cura, ut de bobus irrationalibus lex scriberetur. Porro hic filius dei de providentia dei loquitur, quod ipse prouiderit, unde & quomodo det escam omni carni ut non solum educat de terra panem homini, uerum etiam animantibus terrae & uolucris caeli escam prouideat competentem illis, iuxta illud Dauidicum. Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. ¶ Proinde assume & hoc, & unus ex illis**

Reuelatio  
nes Pauli.  
2. Cor. 12

Officium f.  
dei spei &  
charitatis.

Psal. 2

Obiectio.

1. Cor. 9.  
Deut. 25

Solutio.

Psal. 135.  
Psal. 103.

Psal. 146

ex illis



ex illis non cadet super terram sine patre uestro, simulq; quod subiungit, uestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt, quia uidelicet Christiana fides expofcit, ut non dubites resurrectionem futuram, non solum cum omnibus membris corporis, uerum etiam & cum palpebris siue supercilijs, & cum omnibus capillis suis. Cum hoc ut Christianus homo assumpseris, statim fortissimo syllogismo sua ueritate stringeris, inferente illo. Nolite ergo timere, multis passeribus melioris estis uos. Melioris (inquam) id est, maioris praecij estis uos. Rationalis enim creatura est homo, & uita eius longiturnior est, praesentis seculo, quia non moritur homo, sed solum corpus, & ipsum resurrecturum, ac sine fine cum anima semper uicturum est. **L. Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo qui in caelis est. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo qui in caelis est.** Ergo (inquit) quoniam unus homo multis passeribus melioris est, uos non dubitantes coram deo uobis esse deo, nolite (ut iam dictum est) timere eos qui occidunt corpus, sed confitemini me coram uestris interfectores: quia tale iudicium erit super hoc, ut qui me confessus fuerit, ego confitear eum, & qui me negauerit, negem & ego eum coram patre meo. Profecto gloria erit ei, quem talis in illa die confitebitur: confusio autem illi, quem negabit, siue confundetur (quod apud alium Euangelistam legimus) id est, erubescet confiteri, quod suus sit. ¶ Huius rei Apostolus magnifice meminit, dicens ad Hebraeos de sanctis peregrini & hospites essent super terram, manentem hic non habentes ciuitatem, & meliorem appetentes, id est, caelestem. Profecto dum de illis negatur, simul de oppositis, id est, de infidelibus affirmatur, quia confundetur deus uocari eorum deus, & ueritas illis, quorum deus esse, quos confiteri & saluare ipse, saluo honore suo, non poterit. **L. Nolite arbitrari, quia uenerim pacem mittere in terram, Non ueni pacem mittere, sed gladium.** Ueni enim separare hominem aduersus patrem suum, & nurum aduersus socrum suam, & inimici hominis domestici eius. Cum dicit, Nolite arbitrari, quod uenerim mittere pacem, subaudiendum est, quo modo mundus dat, qualem mundus pacem mittit, qualem requirit. Nam & alibi, cum dixisset, pacem relinquo uobis, pacem meam do uobis, protinus ait, Non quomodo mundus dat, ego do uobis. Est ergo pax mundi, de qua Apostolus ad Galathas, Fructus autem spiritus est, charitas, gaudium, pax. Item, Et pax dei, quae exuperat omnem sensum, custodiat corda uestra & intelligentias uestras. Huius pacis princeps ipse est, & hanc mittere uenit, primo pacificans per suum sanguinem omnia, quae in caelis & quae in terra sunt, & deinde euangelizans (ait Apostolus) pacem uobis qui longe fuistis, & pacem his qui prope est. Pax ista remissio peccatorum est, sed mundus in maligno positus, istam non quaerit, sed qualem tunc habebat illa uallis uisionis, scilicet **HIERUSALEM**, cui dicebat iste pacificus uerus, Et quidem in hac die tua quae ad pacem tibi. Haec pax erat & hoc gaudium & haec laetitia (ait Esaias in onere eiusdem uallis uisionis) occidere uitulos, & iugulare arietes, comedere carnes, & bibere uinum. Comedamus & bibamus, cras enim moriemur. Non (inquit) ueni mittere pacem eiusmodi, sed gladium, id est, separationem filiorum pacis dei a filiis illius non pacis, sed iniquitatis, quemadmodum ibidem continuo subiunctum est. Si dimittetur iniquitas haec uobis, donec moriamini, dicit dominus exercituum. Quis nescit, quis non audiuit, persaepe factum esse uel fieri, quod hic se facturum praedixit, ueni enim separare hominem aduersus patrem suum, & nurum aduersus socrum suam. ¶ Simulq; nota, q̄ pulchre, q̄ conuenienter discipulos suos ad prophetica autoritatem mittit, ut cognoscat, q̄ antiqua ueritatis huius constantia sit, dicendo, & inimici hominis domestici eius. Sic enim in Michae praedictum fuerat. Nolite credere amico, & nolite confidere in duce. Ab ea, quae dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui, quia filius contumeliam facit patri, filia confurgit aduersus matrem suam, nurus contra socrum suam, inimici hominis domestici eius, profecto prophetiam ipsam pulchre innuit testimoniu ferre dicitis suis, nec posse

Heb. ij

Duplex pax,  
una mundi,  
altera dei.

Iohan. ij.4

Galat. v.  
Philip. 4Esaiæ. 9  
Colof. ij.  
Ephē. 2.I uer. 19  
Esaiæ. 22Inimici hoīs,  
domestici ei⁹

Mich. 7



nec posse aliter scripturas impleri, nisi faciat ipse quemadmodum dicit, non pacem, sed gla-  
 dium mittere ueni. Et quidem sunt alia quoque affinitates, quas interdiuidit gladius euan-  
 gelij, sed ex multis istae duae sufficiunt, quarum altera, scilicet hominis & patris sui de ma-  
 ioribus, altera, uidelicet socrus & nurus suae de minoribus affinitatibus est, adeo ut rara in-  
 ter socrum & nurum concordia sit. Vnde apud Comicum quaedam socrus, dum apud  
 nurum suscipit am se huius uitij persentiret, seque excusare intenderet, non (inquit) facile est  
 parare hominem aduersus patrem suum, & nurum aduersus socrum suam, idem est ac si di-  
 cat. Omnes omnino tam maiores quam minores affinitates separare ueni, demonstrando,  
 rumpendam esse pacem malam, & tolerandam carnis discordiam propter dei concordiam.  
 ¶ Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus. Et qui amat  
 matrem suam aut filium super me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam  
 & sequitur me, non est me dignus. ¶ Ecce gladius separantis, ecce separatio propin-  
 quitatis. Ecce diuisio, quae unum eundemque hominem contra semetipsum diuidit, Non  
 est me dignus, (ait) qui patrem aut matrem, qui filium aut filiam diligit plus quam me, non  
 est me dignus qui crucem suam non accipit ut sequatur me. Hoc uerbum iudicantis, gla-  
 dius est separantis. Quis enim habens cor carneum, quis non habens cor lapideum, aequa-  
 nimitur audire patitur, non est me dignus. Valeat potius pater siue mater, ualeat potius si-  
 lius siue filia, dispareat potius ipsa caro siue praesens uita (ait quisque sensatus auditor huius  
 uerbi) quam ego de CHRISTE dignus te non sim. ¶ Itaque omnem propinquum & om-  
 nem amicum relinquit, & semetipsum contemnit, ubi nihil horum se posse retinere per-  
 pendit, salua dignitate discipulatus Christi. Nunquid mandatum hoc nouum est? Non  
 ne est mandatum uetus, quod ab initio audiuiimus? Ait enim Moyses in benedictione Le-  
 uii. Qui dixerit patri suo & matri suae, nescio uos; & fratribus suis, ignoro uos, & nescierunt  
 filios suos, hic custodierunt eloquium tuum & pactum tuum seruauerunt, iudicia tua de-  
 iacob, & legem tuam de Israhel. Ponent timiam in fur ore suo, & holocaustum super al-  
 tare tuum. Quod deinde sequitur, benedic domine fortitudini eius, & opera manuum illius  
 suscipere recte de fortitudine ista intelligas quae hic exigitur, dicendo, & qui non accipit  
 crucem suam & sequitur me, non est me dignus. Accipere namque crucem & sequi Chri-  
 stum, siue in persecutione tradendo corpus suum ad supplicia propter deum, siue in pace  
 frangendo desideria carnis, seu propter metum gehennae, siue propter uitae aeternae de-  
 siderium, fortitudo magna & opus est magnum, fortitudo benedicenda, opus acceptio-  
 nis domini dignum. Qui hoc non facit non solum gloriam non amittit, uerum etiam peccata  
 nam incurrit. Sequitur enim, ¶ Qui inuenit animam suam, perdet eam. ¶ Quis nam  
 est qui inuenit animam suam, nisi qui non uult tollere crucem suam, ne non suauiter trans-  
 igat praesentem uitam? De illo qui in persecutione ita inuenit animam suam, ut Christo ne-  
 gato, lucrum istud faciat, quatinus in corpore retineat, quam persecutoris gladius extru-  
 dere poterat, animam, ex abundanti est astruere, quod aeterna perditione perdat illam.  
 ¶ Ete conuerso. ¶ Qui perdidit (ait) animam suam propter me, inueniet eam. ¶ Non  
 indiget Christiana fides assertionem ulla, ut demonstretur sibi ueram hanc esse sententiam,  
 quia ualde certum est, quod pius martyr perdens animam suam, in fasciculo uiuentium  
 custoditam inueniet eam. ¶ Quid tandem superest pupillis & orphanis istis, cum propter  
 euangelium patrem aut matrem amiserint: siue orbatis istis, cum filium uel filiam propter  
 CHRISTVM dereliquerint? Quid (inquam) nisi ut Christus ipse sollicitus sit pro il-  
 lis. Non enim fallitur quisque talium, cum in psalmo dicit. Ego autem medicus sum & pau-  
 per, dominus sollicitus est mei. Nonne hic protinus adsunt uerba illius sollicitudinis?  
 Sequitur enim, ¶ Qui recipit uos, me recipit. Et qui me recipit, recipit eum  
 qui me misit. ¶ Qui recipit prophetam in nomine prophete, mercedem prophete  
 te accipiet. Et qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet.  
 Et qui uicque dederit potum uni ex minimis istis calicem aque frigide tantum  
 in nomine discipuli, amen dico uobis, non perdet mercedem suam. ¶ Quantos putas  
 futurus esse sciebat, qui ipsum recipere cuperent qui mercedem prophetarum atque iustorum  
 accipere

Mandatum an-  
 tiquum de pa-  
 tre & matre su-  
 a relinquitur  
 quendis.  
 Deut. 33

Quid est inue-  
 nire animam suam

Sollicitus est  
 dominus suorum.

Psalm. 39



accipere optarent. Multos ergo receptores sollicitus dominus, hoc dicendo, præparabat illis, quos uidebat patrem aut matrem amissuros causa sui, quatinus posset quiq; illorum etiam hoc dicere. Quonia pater meus & mater mea dereliquerunt me, dominus autem assumptus est me. ¶ Vt dictum, ita uidemus & factum, quia plures sunt receptores talium, scilicet prophetarum & iustorum, quos patres & matres dereliquerunt, quam ut uincantur multitudine eorum. Nam ut taceam de cæteris recipiendi modis, tot cœnobicia, tot xenodochia receptioni eorum præparauerunt, ut deficientibus iustis eiusmodi, in quibus fatetur Christus se recipi, plerisque in locis res siue fundi pro talibus deo oblatis, ad usum secularium patres & matres, filios & filias habentium, et Christum non sequentium, magna ex parte redierunt. Nunc ipsa uerba perpende. Qui recipit uos, me recipit. Et qui me recipit, recipit eum qui me misit. Hoc ipsum apud alium Euangelistam hoc modo edicit. Amen amen dico uobis, qui accipit, si quem misero, me accipit. Qui autem me accipit, accipit eum qui me misit. Ergo ueri adoratores non superflue agunt, quoniam superuenientes hospites ita suscipiunt ut proni in terram adorent. Christus enim in eis adoratur, qui & suscipitur. Dicam adhuc. Deus & pater domini nostri Iesu Christi & spiritus sanctus in eis adoratur, qui & suscipitur. Nam cum dixisset, qui recipit uos, me recipit: ne quem forte cogitatio sua illo tempore pulsaret, dicens, quid magnam est istum recipi, hominem mortalem, qui & iniurijs affici possit & crucifigi? Protinus addidit. Et qui me recipit, recipit eum qui me misit. Et quis est qui istum misit, nisi deus pater & spiritus sanctus. Licet enim istud apud nos testimonio iam penè non indigeat, sic ipse in Esaiam loquitur. Accedite ad me, & audite hoc. Non à principio in abscondito locutus sum, ex tempore antequam fierent tibi erant. Et nunc dominus deus misit me, & spiritus eius. Quod idem est ac si diceret. In principio deus erat, & hominibus loquens non in abscondito, sed magnis cum signis & prodigijs uenturus me testificatus sum, & ego qui loquebar quicquid ibi erant, scilicet apud deum, ecce assumptus, factus homo, mitte te domino patre meo, mittente & cooperante per uerbum uirginis spiritu sancto. Igitur in illis qui mittuntur, recte ipse, qui mittit eos, deus adoratur. ¶ Nunquid autem hoc sine exemplo uel autoritate antiqua facimus? Aut nunquid hoc facientes, tanquam creaturam adorantes culpamur? Cum staret ad Abraham ad radices Mambrae, apparuerunt ei tres uiri stantes propter eum. Quos cum uidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui, & adorauit & dixit. Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, etc. Item scriptura dicit. Veneruntque duo angeli Sodomitam uel pere, sedente Loth in foribus ciuitatis. Quos cum uidisset, surrexit et abiit obuiam eis, adorauitque pronus in terram. Nunquid non angelica, æque ut humana, substantia creatura est. Sed deus in illis adorabatur, qui et suscipiebatur. Propter hoc et ille coram tribus adorans, uni loquebatur. Domine (inquiens) si inueni gratiam in oculis tuis ne transeas seruum tuum et iste coram duobus adorans, quæso domine mihi, quia inuenit seruus tuus gratiam coram te, etc. ¶ Quæ tandem pro hac receptione merces erit? Ait. Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet. Et qui recepit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Ergo et deus qui recipitur et eius qui recipit, una eademque merces erit. Non enim dixit mercedem de propheta siue mercedem de iusto, sed mercedem prophetæ, mercedem iusti accipiet. Magna retributio, larga recompensatio. Quæ nam est merces prophetæ siue merces iusti, qui ut prophetaret, siue regnum dei annuntiaret, quicquid iustitiam dei custodiret, non patrem aut matrem, non filium aut filiam plus quam illos omnes amauit, & tollens crucem suam, Christum secutus est, non timens perdere animam suam propter iustitiam? Quæ (inquam) merces talium, nisi ipsum manifeste uidere Christum? Hoc enim pro summa mercede promisit diligentibus se. Qui diligit me (ait) diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. ¶ O igitur receptor prophetæ, acceptor iusti in nomine prophetæ in nomine iusti, id est propter hoc ipsum quod prophetam uel iustum esse animaduertisti, tanta tibi mercede proposita hilariter age quod agis, bona uoluntate porrigere quod porrigis, da quod habes, siue paruum siue multum sit. Non enim perdes mercedem tuam, etiam si non plus quam calicem aquæ frigidæ dare possis. Quod si nec illum in tempore possis, saltem uoluntas non desit, quia pax in terra hominibus bonæ uoluntatis.

FINIS LIBRI OCTAUI.

¶ Degloria

Psal. 26  
Receptacula  
pauperum

Iohan. 13

Chrs. imo tota  
trinitas adoratur  
in suscipiendis  
hospitibus eius.

Esaia. 48

Gene. 18

Gene. 19

Quanta merces  
recipiens  
iustum hospitem  
Christi.

Iohan. 14